

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. LI. De sensationibus aliisque mentis operationibus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

CAP. LI.

*De sensationibus aliisque mentis
operationibus.*

§. I.

Corporis humani organa, quæ ob pecu- *Organa*
liarem suam structuram nervosque, *sensoria.*
quibus prædita sunt, ab obiectis externis
ita affici possunt, ut factæ mutationis, ope
fluidi nervei in nervis moti, in sensorio
communi perceptio oriri possit, organa
sensoria nominatur.

§. II.

Ipsa perceptio, dicto modo a mente *Sensatio.*
accepta, sensatio dicitur, quam etiam ideam
de re præsentis sapientiæ Consulti nominant.
Hæc tanto clarior fit, si ad singula obiecti
varia mentem attentam adferimus, illudque
pluribus organis sensoriis, in quantum id
fieri potest, offerimus. Ubi causa, in cor-
pore nostro existens, nervos atque senso-
rium commune ita afficit, ut in mente per-
ceptio oriatur; sensatio interna producitur.
Organo sensorio corrupto, via inter illud
atque sensorium commune intercepta, vel
vitiato v. c. compressio nervo vel encephalo,
sensatio non accidit: ex quo, mutationem
ab obiecto productam in organo sensorio
quidem accidere, atque per nervos ad en-
cephalum propagari, sed ipsam obiecti per-
ceptionem in sensorio communi fieri, cla-

rum est. Organum sensorium a diversis caussis eodem modo affectum eandem in mente ideam producit; hinc sensuum, cæteroquin certorum, fallaciæ oriuntur. Quinque sensuum species, nimirum tactus, visus, auditus, quorum hi duo omnium clarissimi, gustus atque olfactus vulgo numerantur, quibus famem, sitim, sensumque venereum, ob peculiaria, quibus exercentur organa, nonnulli addunt. Vid. *Dn. Jo. Peter Eberhard* diff. de theoria sensationum physica. Halæ Magd. 1754. *M. le Cat* traité des sensations & des passions, tom. III. à Paris 1767. & 1768.

Schol. Sensationes reliquarum mentis operationum, respectu existentia & qualitatis, cæteris paribus, fundamentum sunt; quo plures enim atque clariores sensationes habuimus, easque inter se rite comparare didicimus; eo maiorem reliquarum mentis idearum quantitatem, melioremque earum qualitatem deprehendimus. Vid. *T. Lucret. Carus* de rerum natura l. l. v. CCCXLIII.

§. III.

Imaginatio.

Data sensationum occasione, facultate ideas præteritas, illis ex parte, vel in totum, & quidem vel quoad ipsa obiecta, vel eorum connexa, similes, reproducendi mens nostra gaudet, quam imaginationem, phantasiam, sapientiæ Professores nominarunt. Ideæ ipsæ de obiectis absentibus dicto modo renovatæ phantasmatum nomine veniunt. Quo clariores sensationes præteritæ

fuerunt, atque præsentes sunt, accedente in primis reflexione; eo facilius meliusque imaginationis operationes succedunt. Hæc subest causa, quod, quæ oculis vel auribus, vel pluribus organis sensoriiis, bene, diu, sæpiusque percepimus, cooperante in primis arte characteristica, facili negotio ac satis clare imaginatio nostra repetere possit. Hæc semel excitata, secundum similitudinis leges, agere pergit; donec a nova sensatione vel somno interrumpatur, ac eiusmodi ideas, ab obiectis externis haud turbatas, eo clarius nobis imaginamur. Veritas autem illis non inest; nisi in quantum eum rerum natura conveniunt.

§. III.

Imaginatione totam sensationis præteritæ seriem ita reproducente, ut unum ex altero determinari, adeoque idea præterita accurate recognosci possit; conscientia præteriti oritur, & hæc mentis facultatem memoriam nominamus. Quo clariores primæ perceptiones fuerunt, quo sæpius eadem ideæ repetuntur, & quo diligentius signis notantur; eo felicior atque fidior in homine recte valente memoria est. *Ernesti Platneri* diffidua de vi corporis in memoria. Lips. MDCCLXVII.

§. V.

Plures ideas claras distinctasque de rebus præteritis ac præsentibus inter se conferendi, vel earum nexum perspicendi, *Ratio eiusque species.*

adeoque, quæ, similia vel dissimilia inter se sint, diiudicandi, seu ratione, ingenio & iudicio discretivo, mens nostra prædita est. Quo plures melioresque sensationes habuimus, quo felicior in idearum præteritarum resuscitatione imaginatio, atque in earum recognitione memoria est, quo maius acumen ad obiecta considerata, maioremque diligentiam illis inter se comparandis adferimus; eo potentior, ceteris paribus, rationis, ingenii ac iudicii discretivi usus est. His ratiocinia affirmativa ac negativa, demonstrationes, caussarum nexus, futurorumque cognitio nituntur. *M. T. Cicero* l. I. c. III. de officiis, homo, inquit, rationis particeps est, per quam consequentia cernit, caussas rerum videt earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adiungit atque annectit futura.

C A P. L I I.

De tactu.

§. I.

Tactus. **P**apillas nerveas molles in tota corporis peripheria ad summam cutim emissas, mucò Malpighiano ac epidermide tectas esse, supra diximus. Papillæ hæ tactus instrumenta sunt, quo illam sentiendi facultatem intelligimus, quæ mutationes a corporum externorum actione in dictis papillis cuta-